VLTIMA VOTA

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI DNI D. MARTINI CHEMNITI JC.
Illmorum Principum Pomeraniæ et Holsatiæ Cancellarij,
quæ in fatali suo lectulo ad D.T.O.M. fudit.

I

Si morimur, Domino morimur; si vivimus, illi
Vivimus; et Domini sorte in utraque sumus.

II

Vivamus Domino, dum vivimus; et moriamur,
Cum morimur, Domino; sic ope, Christe, tuâ,
Janua, mors, vitæ fiet, sic pausa malorum,
Sic funus fanus, sic tumulus thalamus.
Da pater ô magni soboles æquæva parentis
CHRISTE, tibi ut vivam, Christe tibi ut moriar:
Sit lethum lectum; sint funera fœnera; mors, sors,
Sitque obitus mihi abitus; sit tumulus thalamus.

III

Peccavi fateor; veniam peto; CHRISTE, remitte
Sanguine purgato crimina nostra tuo